



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

90. De B. Gangulpho B. Vulfranni in Frisia Cooperatore.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

nibus adhuc nostra ætate multis locis continuæ ac difficiles visuntur paludes, Belgis *Mouru* / à quibus appellationem induerunt Morini, quasi *Moerpen* / id est paludum incolæ & accolæ. Hinc docerur miraculum illud factum esse è regione Flandriæ vel Artesiæ. Locus ob tantum Dei opus meritò suspiciendus.

## DISSERTATIO LXXX X.

De B. Gangulpho B. Wulfranni in Frisia  
Cooperatore.



Reſer Wandonem à Iona mox nominatum cum S. Wulfranno ſocius & cooperator in Friſiam aduenit S. Gāgulphus, de quo legitur in vernaculis Hollandiæ Chronicis Wulfranno Epifcopo in Friſijs Chriſtum annuntiante S. Gangulphum equitem & Burgundię Comitem Auctoritate & mandato Regis Pipini, potentia ſæculari cooperatum fuiſſe, eumque ob id toto anno reſediſſe in Medenblick & Epifcopo petente primæciffe fundamenta Eccleſiæ in *Wolterwoude*. Vbi nota, nomen Regis ſumi amplè pro eo qui imperat aut latè regit: conſtat enim Wulfrannum in Friſiam deſcendiſſe ſub Pipino Herſtallo qui tantum Dux, non propriè Rex fuit. S. Gangulphum inter Friſię Apoſtolos & martyres numerat Martinus Hamconius in ſua Friſia. Huius Reliquię multis miraculis claruerunt in Parochiali & Collegiali Eccleſia S. Gangulphi Oppidi Florinensis. Et Natalem celebrant vndecima Maij, aduentum verò Reliquiarum 6. Auguſti. Quas ta-

## DISSERTATIO LXXXI.

De B. Euermaro Friso S. Willibrordi  
Spirituali fetu.

**F**As non sit silentio præterire B. Euermarū Mar-  
tyrem S. Willibrordi præclarum factum. Is no-  
bilis vixit Friso regente Pipino filio B. Beggæ  
& S. Willibrordo per Frisiam prædicante, cuius  
salutaribus concionibus & monitis è gentilium  
tenebris in Christianam lucem esse traductum, omnino est  
credendum. Inter cætera pietatis opera summæ curæ ha-  
buit ad Sanctorum loca peregrinationes instituere. Ea pi-  
etate animatus è longinquâ patriâ per tædiosa itinera &  
vasta montium iuga in Galliciam ad Reliquias S. Iacobi A-  
postoli Compostellæ honoratas concedit. vbi per aliquot  
dies Sanctum venerans supplex diuersa deuotionis offi-  
cia explet Christiano de more. In reditu sibi similis varia  
Sanctorum loca inuisit. Intelligit Traiecti ad Mosam in  
summa veneratione haberi Lipsana S. Seruatij Tungro-  
rum quondam Episcopi eaque miraculis fulgere: iuc-  
rescit statim animus eo contendere & vt perueniat, di-  
uertit ad quemdam Hacconem in silua Harfclapia cum  
septem suis comitibus nihil sinistri suspicatus. Tyrannus  
erat Hacco Christiano nomini perquam infensus, qui in-  
uidus impensi & impendendi honoris viro Dei Seruato  
Euermarique virtutum decora non ferens, instigante dia-  
bolo eum cum socijs crudelissimè interimit. Corpus ibi-  
dem